



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]**

**Santeul, Jean de**

**[S.l.], 1670**

Pro Sancta Maria Aegyptiaca.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13421**



P R O

SANCTA MARIA  
ÆGYPTIACA.

**V**O s ô cum Cytharis jungite cantus  
Cælestes Pueri ; Femina sacris  
Quondam pulsa adytis , debita Cælo  
Nunc ad sidereas transvolat arces.

Sanctis , quæ repulit longius arcens.  
Templi liminibus mente profanam ,  
Hæc est illa manus quæ tibi **CHRISTE**  
Admovit propiùs corde pudicam.

Hæc olim tenebris obsita densis,  
Nunc templo nova lux undique fulget,  
Et monstrat faciles prævia portus  
Passis naufragium triste pudoris.

Quæ non divus Amor pectora mutat ?  
Vix Cæli radius fulsit ab alto,  
Urbes, seque fugit, nulla sat altos  
Ut se condant, habet silva recessus.

H

Molli pro thalamo, frigida rupes :  
 Lautis pro dapibus, graminis herba :  
 Nec duras hyemes pellibus arcet,  
 Nec soles calidos veste repellit.

Ultrix ipsa suos sævit in artus,  
 Per quos & potuit pulchra placere.  
 Deformis macies incubat ori,  
 Sed formam melior gratia pensat.

In pœnam scelerum sæpe recurrant  
 Importuna malæ gaudia vitæ :  
 Sed versans animo debita noxis  
 Tot tormenta, graves comprimit æstus.

Tandem digna polo defere silvas,  
 Placasti lacrymis Numinis iram.  
 Jam tu pasta sacro corpore CHRISTI,  
 Æternæ capias pabula vitæ.

Sit laus summa Patri, summaque Nato,  
 Sit compar tibi laus, Spiritus alme,  
 Qui, dum sacrilegum pellis amorem,  
 Castos insinuas cordibus ignes.

